Fragmentarium

anno regno chaldeorum subuerso. cum adhuc .viii.
anni ad regnandum restabant. Quem etiam sexta vi-
sio daniel ostendit. propter causam sacrilegii que in ea-
dem visione continetur fuisse extinctum. Darius
quoque medus imperabat. ut septima visio danielis
ostendit. in memoratum regno successit. Cuius primo
anno regni ut decima visio ostendit daniel sup-
putatis annis. intelligens appropinquare tempus reuersionis
que per ieremiam fuerat promissa orans tam pro se quam pro
populo eandem promissionem postulabat impleri. Cui per
gabrielem angelum in eadem visione uitam post se con-
cessa universa esse complenda deus edixit. Nam mortuo
eo supradicto rege medorum et succedente in regno
cyro rege persarum. promissione dei completa. per eum
regem populum israel in ierusalem reducunt. ut prima sibi libri
paralipomenon cum initio esdre confirmant. Cumque
a populo israel et a senioribus templum dei edificari ce-
pisset. mortuo cyro rege ac regnante dario rege per-
sarum qui memorato successerat inimici gentis eius
ciuitatis ierusalem ut idem esdras refert restaurationem
templi et ciuitatis impedire ceperunt. Qua de re
terrenis populo israel. restitutionem supradicti tem-
pli domini. nec dum iuxta promissionem consummatam
esse cernebant. Propterea in secundo anno regni memorati da-
rii regis persarum. aggeus propheta a deo missus. ad
zorobabel qui de tribu iuda erat. qui potestatem re-
gni suscepturus erat. et iesum filium iosedech.
sacerdotem ammonet. ut credant completo nu-
mero annorum tempus restitutionis ierusalem ad-
uenisse. hec etiam ab dominio de incredulitate populi e-
uellent imminere. de quo dixit per eum populus iste dicit.
nondum uenit tempus ut edificetur domus dei. Quod
Omnia autem que textu huius prophetie continentur
reuersionem populi edificationem templi renouatio-
nem ciuitatis. obseruantiam sacerdotalem et interitum
regnorum exterorum significant. Explicit prologus.

Incipit aggeus propheta.

In anno secundo darii regis persarum in mense sex-
to in die una mensis. Factum est verbum do-
mini in manu aggei prophete ad zorobabel
filium salathiel ducem iuda et ad iesum fi-
lium iosedech sacerdotem magnum dicens.
Hec dicit dominus exercituum dicens. Populus i-
ste dicit nondum venit tempus domus domini edi-
ficande. Et factum est verbum domini in ma-
nu aggei prophete dicens. Numquid tempus vobis
est ut habitetis in domibus laqueatis et domus
ista deserta? Et nunc hec dicit dominus exercituum
deus israel. Ponite corda vestra super vias vestras.
Seminastis multum. et intulistis parum.
Comedistis et non estis satiati. bibistis et non estis
inebriati. Operuistis vos et non estis calefacti. Et qui
mercedes congregauit. congregauit mittit eas in sac-
culum pertusum. Hec dicit dominus exercituum. Ponite cor-
da vestra super vias vestras. Ascendite in montem portate
lignum. et edificate domum et acceptabilis mihi
erit. et glorificabor dicit dominus. Respexistis ad
amplius. et ecce factum est minus. et intulistis in
domum et exsufflaui illud. Quam ob causam dicit
dominus exercituum? quia domus mea deserta est. et vos fe-
stinatis unusquisque in domum suam. Propter hoc super
vos prohibiti sunt celi ne darent rorem. et terra pro-
hibita est ne daret germen suum. Et uocaui sic-
citatem super terram et super montes. et super triticum
et super vinum. et super oleum et super omnia quecumque
profert humus et super homines et super iumenta et super
omnem laborem manuum. Et audiuit zorobabel fi-
lius salathiel et iesus filius iosedech sacerdos ma-
gnus et omnes reliquie populi vocem domini dei sui. et
verba aggei prophete. sicut misit eum dominus deus eorum
ad ipsos. et timuit populus a facie domini. Et dixit aggeus
nuntius domini. de nuntiis domini populo dicens. Ego
vobiscum sum dicit dominus. Et suscitauit dominus spiritum zorobabel fi-
lii salathiel ducis iuda. et spiritum iesu filii iosedech
sacerdotis magni. et spiritum reliquorum de omni populo
et ingressi sunt et faciebant opus in domo domini exer-
cituum dei sui. II

In die vicesima et quarta mensis in sexto mense in
anno secundo darii regis. In septimo mense. vicesima
et prima mensis. Factum est verbum domini in manu
aggei prophete dicens. Loquere ad zorobabel filium
salathiel ducem iuda et ad iesum filium iosedech.
sacerdotem magnum. et ad reliquos populi dicens. Quis
in vobis est derelictus qui vidit domum istam
in gloria sua prima? Et quid vos videtis hanc nunc?
Numquid non ita est. quasi non sit in oculis vestris? Et nunc
confortare zorobabel dicit dominus. et confortare iesu fi-
li iosedech sacerdos magne. et confortare omnis populus
terre dicit dominus exercituum et facite quoniam ego vobiscum sum
dicit dominus exercituum. Verbum quod pepigi vobiscum
cum egrederemini de terra egypti. et spiritus meus erit in me-
dio vestrum. nolite timere. quia hec dicit dominus exercituum. Ad-
huc unum modicum est. Et ego commouebo celum et ter-
ram et mare et aridam. et mouebo omnes gentes. et veniet
desideratus cunctis gentibus. et implebo domum istam
gloria dicit dominus exercituum. Meum est argentum et me-
um est aurum. dicit dominus exercituum. Magna erit gloria do-
mus istius nouissime plusquam prime dicit dominus
domus nouissime plusquam prime dicit dominus exercituum
et in loco isto dabo pacem dicit dominus exercituum. In vicesi-
ma et quarta noni mensis in anno secundo darii regis. fac-
tum est verbum domini ad aggeum prophetam dicens. Hec
dicit dominus deus exercituum. Interroga sacerdotes legem dicens.
Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui
et tetigerit de summitate eius. panem aut pulmentum
aut vinum. aut oleum. aut omnem cibum. numquid

License: public_domain – Toronto, ON, The Robertson Davies Library at Massey College, Gurney FF 0001, Verso – Biblia Sacra Latina, Versio Vulgata (https://fragmentarium.ms/view/page/F-1gw4/10239/75331)